Pasquem

Pasrzy[illegible]

Pascii Nicolai: Fausta electio, felicior ingressus, fortunatissima coronatio Augusti II. P. R.

A
P
M
RUS
LIV
PODI
HA
JULI
S

LA
&
G

FAUSTA
ELECTIO,
FELICIOR
INGRESSUS,
FORTUNATISSIMA
CORONATIO,
SERENISSIMI,
AC
POTENTISSIMI,
AUGUSTI II.
POLONIARUM REGIS,
MAGNI DUCIS LITHVANIÆ,
RUSSIÆ, PRUSSIÆ, MASOVIÆ, SAMOGITIÆ,
LIVONIÆ, KIIOVIÆ, VOLHYNIÆ, PODOLIÆ,
PODLACHIÆ, SMOLENSCIÆ, SEVERIÆ, CZERNIECHOVIÆq;:
HÆREDITARII DUCIS SAXONIÆ,
JULIACI, CLIVIÆ, MONTIUM, ANGRIÆ, & VESTPHALIÆ;
S. R. IMPERII ARCHIMARESCHALLI,
atq; ELECTORIS;
LANDGRAVII THURINGIÆ, MARCHIONIS MISNIÆ,
& Utriusq; LUSATIÆ; BURGGRAVII MAGDEBURGENSIS; PRINCIPIS COMITIS HENNEBERGENSIS;
COMITIS MARCÆ, RAVENSBERGÆ & BARBII;
DOMINI IN RAVENSTEIN, &c. &c.

A

NICOLAO PASCIO, Curato in MarciPoremba Academico,

Brevibus Epigrammatibus
CONSIGNATA.

Anno Domini, 1697. Die 15. Septembris.

GRACOVIÆ, TYPIS UNIVERSITATIS.



LEchiadum Genti favisti bellice Mavors,
Quot parit, Armigeros, tot parit illa Viros.
Ex Heròê Heros progignitur, armaq; ab armis,
Grandibus à gestis grandia gesta fluunt.
AVGVSTVS SAXO Lechiæ Diademate sumpto,
Ensifer Alcides, Lechus & alter erit.

SERENISSIME, POTENTISSIME, AC INVICTISSIME REX,

Domine Clementissime.

DUm Magni Oratores & Celeberrimi Pòëtæ, sub tempus Felicissimæ, faustissimæ, fortunatissimæq; Coronationis Tuæ, magnas laudes Tuas, Genealogias, Ortus Genethliacos, à tot Imperatoribus, Regibus, Ducibus & Principibus deductos; Tum quoq; bella Tua, pro Religione Catholica, pro Sacra Cæsarea Maiestate, pro Imperio Romano Herculeis viribus per Europam gesta, reportatas ex Turcis, Tartaris, & alijs hostibus, Victorias, & gloriosos Triumphos plenis deprædicant voluminibus. Ego quoq; minimus Clientum, & subditorum Tuorum, tanquam Anser inter olores strepere sum ausus. Et quia, ut aiunt

Longa solent sperni, gaudent brevitate moderni.

Ideò non longos, & prolixos Panegyricos, sed paucissima hæc, & brevissima in applausum SERENISSIMÆ MAIESTATIS TUÆ, maiore affectu, quàm effectu apporto. Magnus Persarum Rex Artaxerxes à pauperculo Sineta subdito suo pugillum aquæ, magno affectu sibi oblatum, non minori acceptavit animo, Tanquam pugillum aquæ & ego hæc mea paucula coram SERENISSIMA MAIESTATE TUA depono, non tantùm meo sed etiam totius Cleri Regni Tui, præsertim per Villas,

pagos & oppida curam animarum gerentis Nomine. Quæ SERENISSMA MAIESTAS TUA, ut Magnus Artaxerxes ſerena acceptabit fronte, & vultu benigniſſimo. Nos interim Clemenriam à SERENISSIMA MAIESTATE TUA ſperabimus, & præſtolabimur huiuſmodi, cuiuſmodi ab illo Romanorum Imperatore Auguſto experti fuere Ægyptiorum legati, ad quos inter Cætera humanitatis & Magnificentiæ ſuæ inſignia. hæc aiebat: Haurite à me Ægyptij tanquam è Veſtro Nilo. Haurit Nilum humanitatis & beneficentiæ Tuæ CLEMENTISSIME REX Vniverſa Reſp: Polona. Et nos quoq; pauperes Parochi vel dicam oppreſſi, gravati inquam Contributionibus & exactionibus publicis, veluti cætera plebs, regale Sacerdotium. Parem gratiam & protectionem Regiam humillimè precamur & ſupplicamus. Addunt Nobis animum Numiſmata ſub tempus Coronationis Tuæ in Vulgus proiecta. In quibus ex una parte effigies SERENISSIMÆ MAIESTATIS TUÆ cum titulis debitis fuit expreſſa. Ex altera manus una SERENITATIS TUÆ Sceptrum Regium, altera gladium portabat, cum inſcriptione Reget & defendet. Rege protege, defende, & vive SERENISSIME POTENTISSIME & INVICTISSIME REX quàm feliciſſimè & quàm diutiſſimè. Vive inquam DEO Optimo Maximo in Laudem & gloriam, Eccleſiæ Orthodoxæ in protectionem, in defenſionem Patriæ. Vive Orbis Delicium, cum Auguſto, Traiano, Veſpaſiano, & alijs Imperatoribus, hoſtium terror, Clades & ruina, Amor ſubditorum & amicorum Clientumq; Tuorum Patronus & Mecænas, omnes unanimi voce precamur.

SERENISSIMÆ MAIESTATIS TUÆ

Indigniſſimus coram DEO *Exorator Cliens humillimus*
NICOLAUS PASCIUS *Academ: cum alijs Plebanis & Animarum*
Curatoribus Regni Tui Incolis.

ELECTIO
FAVSTA & AVSPICATA,
Serenissimi, Potentissimi, ac Invictissimi,
AUGUSTI II.
POLONIARUM REGIS,

ELectus SAXO Lechiæ REX, hostica Saxo,
Saxa petet, VIVAT, Sarmatiamq; regat.

De Eodem.

Post Cataclysmum olim, mittebant aspera SAXA
Pyrrha & Deucalion post sua terga retrò.
Et Genus humanum quod aquis intercidit; ambo
Miro, si vero restituêre modò.
REX Lechiæ SAXO mittit non Saxa sed aurum;
Et reparat Regni cuncta necessa sui.

De Eodem.

Non ego laudabo Te REX fortissime magnis,
A Proavis, Atavis, Magnanimisq; Viris.
Ipsius hoc etenim pænè ipsa ab origine mundi,
Saxonici Annales, Historiciq; canunt.
Quòd REX Sarmatiæ Procerum per Vota proborum
Lectus es, hoc unum laudo, stupesco, cano.

JNGRESSUS
Eiusdem,
Serenissimi, ac Potentissimi REGIS,
In Vrbem, & Polonum Orbem.

Affusam REX Magne TIBI circumspice turbam,
Quaq; venis, gaude, vix reperire viam.
Plebis amor tantas TIBI convocat Vrbe Catervas,
Quò TIBI clausa magis semita, aperta magis.

CORONATIO
Ejusdem
Serenissimi Regis, Magnificentissima.

Grande Nero Diadema parat, Senecamq; requirit,
An quid adhuc operi forte deesse putet.
Pænè deesse nihil video, respondit, opusq;
Inquit, egestatem denotat hocce Tuam.
Cur ita? REX iterum. Quia perfectissima res est,
Inquit, ei, ut possis addere pænè nihil.
Tantam sumpsisti, Lechiæ REX Magne, Coronam,
Vt dubitet iam sors addere plura TIBI.

De Eodem.

Augustus primus Lechici REX Inclytus Orbis,
Iagelloniacæ Regia Sceptra Domus,
Finijt, & clausit, de Sanguine nempè virili:
De Matre extremus nam Casimirus erat,
Felix omen adest, AVGVSTVS quandò Secundus,
SARMATIÆ Princeps, SAXONIÆq; Potens;
SAXONVM Gladijs ad Lechica Sceptra tenenda,
Auspicium faustum, Principiumq; dedit.

Ad male contentos,
Prælibatæ Electioni, & Coronationi,
Serenissimi, Potentissimi, ac Invictissimi,

AUGUSTI II.
POLONIARVM REGIS,
Contradicentes.

Dominus autem assumpsit me. Psalm: 26.

Rege Casimiro Lechicam sumente Coronam,
Iactatum in vulgus tale Numisma fuit.
Dextera de Cælo Regi porrecta dabatur.
Me Deus assumpsit, taleque Lemma fuit.

AVGV-

AVGVSTVS REX. posset idem sibi sumere Lemma,
Qui de Magnificis, Principibusq; Viris,
Ambitum citrà, citrà spem, Numine solo
Dante, est Electus, Sarmatiæq; datus.
Quid malè contenti? Fas oppugnatis, & æquum,
Vultis an Æterni frangere fata Dei?
Dextera Domini fecit virtutem. Psalm. 117.
Tertius Istuleæ Gentis REX ille Ioannes
Virtutem Domini dextera fecit, ait.
In Solio Lechiæ REX SAXO quandò resedit.
Dextra Dei fecit, dicere quisq; potest.

Duodecem Herculis Labores.

Bisseni Alcidæ, Magniq; fuêre labores,
Per quos in Divos iure relatus erat.
AVGVSTVM Divum Bisseno Epigrammate pango,
Scilicet Alcides ille Polonus erit.

IN ZOILVM.

Zoilus insano res est vicina Molosso.
Hic Dominum lacerat, lancinat ille probum.

In Eundem.

Esurit, atq; aliam non Zoilus invenit offam.
Heroum probris vult saturare Gulam.

CONCLVSIVVM.

Corbiniana Sagax Michàëli Fæmina Regi,
Vix septem Versus scripsit, eiq; dedit.
Et tantùm placuit, quantùm placuisse Pöètæ
Et docti, & multi non potuêre, ferunt.
Paucos ipse brevi concepi tempore versus,
O utinam placeant, Magne Monarcha TIBI.